

lico ipsi de Aviano eundem Joannem cum sociis suis prædictis a se licentiaverunt. Qui statim venientes per sub montes, ob timorem industi; videntes, ipsas gentes talia loca fortissima verbo tantum vincere, venerunt in ipso constanti & fortissimo Castro Maniaci, referentes gesta per infideles ipsorum locorum. Admirati multum fuimus nos de Maniaco, non tamen pavidum facti, nec nostro bono animo ac proposito aliquo modo moti; imo animum quisque nostrum sumpsit fortorem in obtinendo velle ipsum Castrum, & promissionem ipsam factam nostræ parti. Rogavimus ipsum Joannem, ut pro nostra & loci nostri prædicti defensione nobiscum esse vellet; ut si gentes ipsæ ad nos venire præsumerent, quod juvamine ipsorum intendamus nos potenter tueri, nec facere velle ut prædicti fecerunt, & nobis acquirere infidelium famam; eique promissimus solvere pro rata temporis, in quo nobis servirent, eosque benigne tractare. Qui videntes nos tali bono animo esse velle, lætanter steterunt nobiscum: & reperti sunt omnes boni, & viriles ad defensionem nostram. Et quæ eis promissimus, fecimus: & a nobis lætanter receperunt.

Sed redeuntes ad factum, iste honestus Joannes Contestabilis, loquente D. Luchino cum D. Rizzardo & ejus sociis, tanquam provifus & talibus peritus, subito hortatus est in Castro tam homines, quam mulieres repedare; & ut quilibet ponat aquam super ignem cum cinere intus, lapides ad muros; pro nostra defensione animum sumant fortissimum, & se in pavore non inducant pro jactamine bombardarum, quia audito rumore duorum vel trium nullus ulterius curaret. Estote fortes animi, quia Virgo Maria Mater Domini nostri Jesu-Christi nobiscum est: pro qua nobis nituntur istæ malæ gentes nos offendere. Ipsa Domina nostra nobis juvamen porriget & suffragium tale, quod nullus nostrum læsionem patietur, nec ipsi nos vincere poterunt. Per dictum cujus visum est unicuique, nihil de ipsis gentibus curare.

Et redeundo ad verba ipsius D. Luchini cum ipso D. Rizzardo, obtenta licentia inter ipsos, tunc quilibet revertens ad suam partem recessit; & se reduxit ad suam partem, dicentes qui missi erant: cito vobis mittemus in Castro unum de nostris Narancis. Quibus fuit responsum: & nos mittemus vobis de nostris pomellis, quia sufficienter habemus in dando vobis, si quid de nostro volueritis; & contingat nos ad vos venire, nos paratos vos velle recipere videbitis, nos non pavidos, sed voluntarios. Et in recessu dicti D. Luchini, vix cum sua felici & fidei comitiva suorum vicinorum portas intrare potuit illæsus, ipsum & suos subito balistrantes. Et qui sub muros venerant, & in stalla prædicta habentes palos ferreos, maglios, saponas, murum domus prædictæ olim D. Luvisini incipientes fodere, cum infinitis bombardis & balistris copiosis tela trahentes, lanceas longas ultra altitudinem tectorum transientes, ipsum Castrum satagentes, & putantes illico habuisse; quia super domo illa nulla defensio facta erat contra ipsos, nisi ad fenestras, ad quas nullus poterat ibi stare propter multitudinem telorum, pilotorum, & lancearum. Et nostri non propterea exterriti, animum ut eis expediebat capientes fervidum in defensione ipsorum, subito murum & tectum fregerunt: & isti adversarii jam fenestram unam ferream ipsius domus, quæ erat quasi ad terram, de una cruce ferri evulserant. Tunc nostri fracto muro & tecto aquam calidissimam cum magnis saxis a muris jactantes, de ipsis talem fecerunt ultionem, quod ad fugam se per

riparum exponentes, unus alterum non expectando, nec per viam vel tramitem euntes, aliqui socios per pedes trahentes mortuos & vulneratos, ex ipsis multi propter aquam calidam decapillati, cum lapidibus cruentati. Ipse vero Dominus Comes nequiter bene cum XL. ex notabilibus suis hominibus armigeris, & ipse D. Rizzardo, ut postmodum retulit ore proprio, fuerunt percussi; ac ipse Antonius de Verona fuit percussus cum lapidibus tantum: qui Antonius in percussione habuit dicere, *Oimè*, audientibus ejus.

Et jam totus exercitus venerat contra ipsum Castrum, putantes ipsum vicisse; eo quod viderunt illos fodientes murum. Et unus veniens ad portam cum una hasta, super quam erat una lumera ferrea cum sagittis accensis, putans ignem in porta Castri infigere; unus de illis dicti Sancti Bartholomæi lapidem jactans, & in capite percutiens; ibi dormitionem cepit. Alter ejus socius, cupiens ipsam dormientem ad se trahere cum uno pavasio in brachio; permiserunt nostri ad dormientem venire: cum hora fuit, cum pomellis ipsum, ut meruit, honoraverunt. Et in ipsa hora tantus in exercitu mugitus equorum, & hominum; quod tonitrua magna tonantia in aere posunt audiri. Et in ipso Castro tot & tanta jacula, seu piloti balistrarum & arcorum, quod de celo videbantur cadere, non minus quam facit pluvia. In quo conflictu mortui fuerunt numero XVIII. & portati in curribus in Portuone, & alibi; de quibus dicebatur, mortuos fuisse ultra octuaginta. Qui vero se ad eorum tentoria reducentes, nunquam ipsorum aliquis ad ipsum Castrum venire ausus fuit. Nos vero de Castro sæpissime ipsos vocantes, ut ad nos vellent venire; quia si non bene eos honoravimus in principio, ipsos intendebamus & melius honorare. Ipsi vero graviter indignabantur; sed non quod vellent reverti ad pugnam loci, cum bombardis jactabant lapides. Uno die jactaverunt lapides LXXIV. ex quibus, nec ex telis ipsorum nullus nostrum unquam læsus fuit, subveniente nobis Virgine Maria. Tunc iverunt per montem Grisollum, & alios montes, circumcirca ipsum Castrum, omnes magistrati in armis; si possent ponere bombardas in nostra majori læsione. Et descenderunt per Woveda, & nihil videntes contra nos posse operari, de mane die Sabbati (a) XXI. dicti Mensis Septembris cum omni eorum potentia iverunt ante Terram Spegnimbergi: & ut dicebant ipsi Domini de Spegnimbergo, parti se illico dare parati erant; sed unus habuit dicere, non potuerunt Maniacum recipere, quia potenter se defenderunt; nos semper erimus verecundati, nos tam cito reddere. Et isto verbo se abstinerunt, & ante Terram ipsam Spegnimbergi steterunt diebus undecim, trahentes cum bombardis: qui multotiens se parti dare voluerunt. Sed D. Venzeslaus Miles, qui dubitabat venire ad manus Domini Paduæ, quia eum non amabat, multum operatus est ut se sui Confortes & vicini non redderent. Et nisi forent socii forenses, missi per Utinenses & Rectorem Venetorum, se sine dubio reddidissent parti adversæ.

Interim vero apparuit gratia Domini nostri Jesu-Christi, & ejus gloriosissimæ Virginis Matris Mariæ, sub cujus alis ista Sancta Aquilegensis Ecclesia defensatur. Quidam nomine Anderlinus Trotus, qui ad modum societatis steterat ad damna ipsius Sanctæ Aquilegensis Ecclesiæ, missus per ipsum Dominum Paduæ, per Villas strata altæ sub Utino eundo, ne ipsi Utinenses cum suis gentibus se movere auderent in succursum suæ partis contra alias gentes,

(a) Anno scilicet 1387.